Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

gans obsecrans, quatenus per multas lacrimas timorem dei et sacre puritatis ac totius perfectionis amorem nostris immittere et imprimere animis conabatur. Sed et monebat et cum lacrimis obtestabatur, ut si quid forte virtutis aut exemplo nobis commendasset aut verbo, id enim laterem, id firmiter teneremus et perficeremus in eo. Aliis quidem verbis, sed eodem spiritu illud apostolicum loquens: Rogamus vos et obsecramus in domino Ihesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo vos oporteat ambulare et placere deo sicut et ambulatis, ut abundetis magis. Atque utinam tam efficaciter persuaserit, quam affectuose suasit.

Modum autem egritudinis eius si quis nosse desiderat, extat epistola quam ad amicum quendam paucissimis diebus ante sacram a nobis profectionem suam ipse dictavit. Quam minime huic nostre narrationi duximus inserendam: quod videlicet et si aliena quaque de ipso, amplius tamen nos ipsius de se verba delectent.

Epistola eius ad Arnolfum abbatem Bonevallis qui ei quandam exeniam mittens de eius valitudine per nuncium fuerat sciscitatus.

Suscepimus caritatem vestram in caritate et non in voluptate. Que enim voluptas, ubi totum sibi vendicat amaritudo? Nisi quod solum nihil comedere, utrumque delectabile est. Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus dolor unquam recedat. Defectus stomachi fere totum quod patior est. Frequenter in die et in nocte exigit confortari modico aliquo modo quasi liquore. Nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit, sed timet graviorem si sese vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes et crura intumuerunt, quemadmodum ydropicis contingere solet. Et in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem, ut non minus sapiens dico, spiritus promptus est in carne infirma. Orate salvatorem qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum iam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is qui insidiatur invenire non possit ubi dentem figat et vulnus infligat. Hec ipse dictavi, sic me habens, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum.

Hoc exemplar epistole. Quam ut nos diximus et ipsa quoque eius verba declarant, prope sub exitu iam imminente dictavit. Ex cuius nimirum tenore possit diligens lector satis illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere. Quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas animi, suavitas spiritus, quanta sub fiducie culmine radix humilitatis. Sed et nostrum sub tam gravi articulo inconsolabilem luctum aliquatenus illi estimare licebit, pallidasque si pie senserit turmas ymaginabiliter filiorum exterminatas facies, vultus exangues, genas fedentes lacrimis, suspiria quoque pectorum ac singultus. Quis enim apud nos